

05

A

1210



A

I
I

D

M

L



17

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
Exhibens
ANNOTATAANTI
GROTIANA

In Matthæi Capp. VII. VIII. & IX.

Quam
In Academiâ Wittenbergensi,
PRÆSIDE

Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo ac Ex-
cellentissimo VIRO,

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

Doctore Theologo de totâ Christi Ecclesiâ emi-
nenter merito, Professore Publico Primario, Ecclesiæ Wit-
tenbergensis Pastore, Circuli Elect. Sax. Superintendente
Generali, & Consistorii Ecclesiastici Assessore
gravisimo,

Dn, PATRONO ac PRÆCEPTORE suo perpetuo animi
cultu venerando

Collationi publicæ exponit

M. CHRISTIANUS Röhrensee/ Colleg.

Philos. Adjunctus, & Alumnus Electoralis.

Habebitur ad d. 1. Septembris,

Anno cl. 1707. LXX.

In Auditorio Majori.

Litteris Borckardi Acad. Typog. Excudebat Simon Lieberhirt.



DISPUTATIO THEOLOGICA

Exhibens

ANNOTATA

GROTIANA

In Martini Capp. VII VIII IX

Quam

In Academia Martini



05 A 1270

DR. ABRAHAMO CALVIJO
Doctore Theologo de tota Christi-
anitate, Professore Publico in
theologiae, Canonico, et
Generalis de Cantuariensi
DR. PATRONO DE
M. CHRISTIANUS
Laudis Alumnus
Laudis Alumnus
Laudis Alumnus
Laudis Alumnus



I. N. J.
ANNOTATA
AD MATTHÆUM.

CAP. VII.

v. 16.

Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεθε αὐτοὺς.

Ex operibus iniquitatis, ut infra dicitur VII. 23.

De fructibus *vite & morum*, quos vocant, vel operibus *malis* explicant quidem nonnulli à Pontificiis, non de fructibus *Doctrina*, & confidenter satis *Maldonatus* affirmat, *veteres autem omnes per fructus opera intelligere, quæ doctrinam naturam malam, bonam bona sequuntur.* Sed intelligenda imprimis est *doctrina*. Sicut enim fructus *Christiani*, in quantum *Christianus* est, sunt bona opera, ita *Doctore* in quantum *doctore* fructus est *forma*, seu *qualitas doctrinae*, & sicut ex operibus tanquam ex fructibus cognoscitur quis, an sit verè *Christianus*, vel *hypocrita*, ita ex fructibus, h. e. ex *qualitate doctrinae*, judicandum est de veris & falsis prophetis. Qualem enim *Spiritus Propheta* habet, talis est *doctrina*. Sed *Spiritus* videre non possumus, ideoq; è doctrinâ dijudicare eum oportet. Quam explicationem probat *B. Chemnitius* è verbis *Luce* parallelis c. VI. 45. *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo malo ex cordis sui thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ex eo igitur, quod *Propheta* profert, & loquitur, judicandum est, qualis sit *thesaurus* in corde *Prophetae*, h. e. an sit verus, seu *pseudo-Propheta*. Neq; alieni sunt ab hac explicatione *Veteres*. *Hieronymus* ad h. l. ex fructibus *animæ*, quibus *innocentem ad ruinam trahunt*, lupis rapacibus comparantur. Similiter *autor operis imperfecti* apud *Chrysostomum* homil. XIX. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Fructus enim hominis est confessio fidei ejus, & opera conversationis ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera: Si confessio ejus conveniat cum Scripturis, verus est Christianus: si autem non est, quemadmodum Christus mandavit,*

2

Disputatio
Publica
RESPON-
DENTE
M. CHRIS-
TIANO
Röhren-
seen / Eh-
renberg.
Misz.
Coll. Phil.
Adjun-
cto

ANNOTATA

falsus est. Sic enim & Johannes, cum de haeticis scripsisset epistolam, non dixit, Si quis venerit ad vos, non habens nomen Christi, nec ave ei dixeritis: sed si quis non attulerit istam doctrinam. Indicium Christianitatis non ad nomen Christi retulit, sed ad Confessionem, quia non nomen solum Christi Christianum facit, sed etiam veritas Christi: quia in nomine Christi multi ambulat, in veritate autem ejus pauci.

v. 21. ποιῶν.

Textus Ποιῶν τὸ θέλημα τῆ πατρὸς dicuntur, qui serium habent obediendi propositum, nimirum οἱ πάντες ἔχοντες ἔνεκράν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀγάπης ἐνεργημένην. Neque enim rarum est, ut agendi verbis significetur studium, sed tale, quod data occasione adtuosum est.

Grotius. Quod sit ἀγάπης ἐνεργημένην. Neque enim rarum est, ut agendi verbis significetur studium, sed tale, quod data occasione adtuosum est.

luntatem Non solum obediendi propositum, nec πρώτως illud, sed

Patris: maximè fides in Christum ad hoc ποιῶν τὸ θέλημα τῆ πατρὸς pertinet. Nam id dixit Christus v. 24. ποιῶν τὰς λόγους τῆς τῆς. Ad sermones autem illos spectabat, quaerere primùm regnum DEI & justitiam ejus Matth. VI. 33. quod sine fide fieri nequit: & in primordiis, ac summâ concionum Christi erat, credere Evangelio Marc. I. 15. Atque ideò beati dicti sunt à Christo esurientes & sitientes justitiam Matth. V. 6. & ab ingredientibus in regnum abundantior requisita justitia, quæ est ipsa Justitia fidei Matth. V. 20. Et quænam est illa voluntas Patris, quam facere jussit Christus? Nonnè ad eam maximè requiritur fides? Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, vitam æternam habeat, ait Christus Joh. VI. 40. & cum quaereretur ἢ ποιῶμεν, ἵνα ἐργαζόμεθα τὰ ἔργα τῆ Θεῶ; respondit, τὰ τὸ ἐστὶν τὸ ἔργον τῆ Θεῶ; ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκείνⓄ v. 28. 29. Non equidem dubium est, facientem voluntatem Patris serium habere obediendi propositum, sed imprimis requiritur, ut fidem habeat in Christum, quâ purificentur corda Act. XV. 10. & ex quâ charitatem Deo placentem oriri oportet: quia fides per charitatem est operosa & effrax Gal. V. 6. Fides est omnis bonæ actionis genitrix, dicente Ambrosio: & τὸ τέλος τῆς ὡς ἡ γαγγυγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ καρδίας

ῥαῖς

AD MATTHÆUM.

*ρὰς καρδίας, καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς, καὶ πίστεως ἀνυποκρίτου. 1. Tim. I. 5. Atq; hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini Filii e-
 jus Jesu Christi, & diligamus nos invicem, 1. Job. III. 23. Id tamen
 cavendum, ne ingressum in regnum cælorum tribuamus dile-
 ctioni, vel proposito obediendi; quia salutem unicè fidei tribuit
 Scriptura, ceu *causa*, ex parte nostri, ut vocamus, *organica*.
*Beatitudo est ejus, cui Deus imputat justiciam sine operibus Rom: IV. 6. Ex gratiâ salvi facti estis per fidem Eph: II. 8, non ex ope-
 ribus, ne quis glorietur v. 9.* Quia vero fides vera non est *sine*
operibus, etsi sine operibus gratiam & salutem apprehendat,
 unicumq; medium sit ἀντιληπτικόν, quo scilicet ea, quæ offe-
 runtur in Evangelio, suscipimus, nobisq; applicamus; ideò
facere voluntatem Patris non dicuntur, qui solum jactant fi-
 dem, & dicunt, *Domine, Domine*, sed qui vivâ in Christum fide
 veræ sanctitati dediti sunt. Quo sensu rectè se habent, quæ hic à
 Grot: laudantur, Patrum sententiæ: Nimirum Justinus in Apolo-
 getico ita statuit: οἱ δὲ ἂν μὴ εὐρίσκωνται βιβλῆς, ὡς ἐδίδαξε
 γνωρίζεσθαι μὴ ὄντες χριστιανοὶ κ' ἀν λέγωσι Δὲ γλώττης ταῖς
 τῆς χριστοῦ διδάγματα, ἃ γὰρ τὸς μόνον λέγοντας, ἀλλὰ τὸς καὶ
 τὰ ἔργα πράττουσας σωθήσεσθαι ἔφη. Idem in colloquio cum
 Tryphone refutat noxiam opinionem non Judæorum tantum, sed
 & quorundam, qui Christiani dicerentur οἱ λέγουσιν ὅτι καὶ ἅμαρ-
 τωλοὶ ὡς Θεοὶ ἢ γνώσκουσιν, ἃ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος,
 ἅμαρτιαν. Et in eandem sententiam scriptor responsionum,
 ad Orthodoxos: τὸ ἀγαθὸς ἡμᾶς εἶναι ἢ κακὸς ὁ Θεὸς ἃ κ' ἐν τῇ
 γνώσει ἔθηκε τῶν γνωστικῶν, ἀλλ' ἐν τῇ ἀρέσῃ τῶν ἀίραμένων.
 Vetustior his Ignatius in epistola ad Magnesios: πρέπον ἔστι μὴ
 μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εἶναι. ἃ γὰρ τὸ λέγεσθαι
 ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ. Basilus ad Amphilochem:
 εἰ πάντες τὸ ὄνομα λαβὼν τῆς χριστιανισμοῦ, ἐνυβρίζῃ τὸν χριστόν,
 ἃ δὲν ὄφελ' αὐτῷ τῆς προσηγορίας. Salvianus: Totum in id
 revolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus
 non esse videatur. Nomen enim sine actu atq; officio suo nihil est.
 Nam sicut ait quidam in scriptis suis: quid est aliud principatus sine
 merito-
 2 2*

ANNOTATA

meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine, aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque, ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud Sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto?

v. 24. Καὶ ποιεῖ αὐτὸς.

Textus

Grotius.

Ποιεῖν, ut modò diximus, propositum agendi significat. Atque hic notandum est discrimen assensionis contemplativa tantum, & assensionis activa. Nam ut assensio fiat activa, hac tria requiruntur: primum ut diligenter consideretur, quæ sit via à Christo præscripta, quæque difficultates interna atque externa eam comitentur: deinde ut attentè eisdem expendatur magnitudo æterna eius gloria, quam Christus promittit: tertio ut benè infigatur animo certa connexio viæ istius cum meta, & meta cum via, nempe ut constet, fieri non posse, quin isthac eo veniatur, nec alia eundo eodem posse perveniri. His benè perceptis atque meditati, flectitur voluntas in obedientiam intellectæ veritatis, unde insurgit in animo dilectio, quæ radicis & fundamenti vicem præstat Eph. III. 17. Confer quæ infra sunt Cap. XIII. & Luc. XIV. 28.

Elenchus

Hæc de viâ à Christo præscriptâ, de metâ, & connexione eius cum viâ rectè se haberent, si via illa dextrè & ex sententiâ Christi expl. caretur, qui viam ad vitam non dicit dilectionem nostram, sed longè aliter eam definit Job. XIV. 6. Ego sum via: nemo ad Patrem, nisi per me: & obedientiam veritatis fidem esse, cum nempe Christum in Evangelio propositum fide recipimus, & in ipsum credimus, passim inculcatur Job. I. 12. c. III. 16. c. VI. 29. Rom. I. 5. 2. Thess. II. 13. 1. Petr. I. 21. Non enim in alio nomine est salus, quàm in nomine Jesu Act. IV. 12. nec remissionem peccatorum & salutem consequimur, nisi per fidem Act. X. 43. Rom. III. 28. Gal. I. 16. Eph. II. 8. Dilectioni nostræ hic nullæ sunt partes, quæ nusquam causa salutis constituitur, imò à causarum salutis classe excluditur, siquidem χωρὶς ἔργων salutem consequamur Rom. III. 28. ἄνευ ἔργων Eph. II. 9. Utut ergò assensio activa requiratur, non contemplativa tantum, ea
tamen

AD MATTHÆUM

tamen, quâ ad salutem opus est, ne utiqvam ita describenda est, cum flectitur voluntas ad obedientiam, quantum ad præceptum de dilectione, sed quantum ad præceptum de fide: ne id tribuatur obedientiæ nostræ, & dilectioni DEI, & proximi, quod obedientiæ est in susceptione Christi per fidem consistenti, & justitiæ, vel obedientiæ Christi in solidum vindicari debet, quâ justificari nos, ac salvari oportet Rom. V. 18. 19. Act. IV. 12. nihil ad id faciente, aut conferente nostrâ dilectione, vel proposito nostro obediendi præceptis, de dilectione nostrâ Eph. III. 17. uti cum Calvino, Bullingero, Grotius vult; sed in charitate DEI, quæ est in Christo Jesu, quâ dilexit nos DEUS, non quâ diligimus nos DEUM: quia DEI dilectio fundamentum & radix est vite & salutis nostræ Job. III. 16. 1. Job. III. 16. c. IV. 10. Eph. III. 17. idè in Christo radicati dicuntur & edificati, & firmati in fide Col. II. 7. qui credunt in Christum. Petit Apostolus, ut radicemur, & fundemur in Charitate DEI, ut magis magisque eam experiamur, ac de eâ certiores reddamur, adeoque in corde nostro sentiamus, nos in Christo à DEO diligere, & in hac dilectione firmam fiduciam, & spem salutis immotam collocemus. Nostra dilectio hîc intelligi nequit: hæc enim non est fundamentum & radix salutis nostræ, sed est fructus fidei salvificæ & justitiæ: at fructibus malè tribuitur nomen radicis & fundamenti: Quod observatum etiam Beza est, hîc à Calvino dissentienti. Optârât antea Apostolus in habitationem Christi in cordibus nostris per fidem: jam precatur: ut radicati in dilectione DEI in Christo valeamus καταλαβείναι cum omnibus sanctis magnitudinem dilectionis DEI: quam non charitate nostrâ apprehendimus, sed in sensu charitatis DEI erga nos. Et notat Chrysostomus, idem nunc dici, quod antea (de vobis Spiritum Sapientiæ, ac revelationis in cognitione ipsius, ut sciatis, quæ sit excellens magnitudo potentiæ ipsius in nos, qui credimus) ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, quæ longitudo &c. hoc est, ut cognoscatis mysterium, quod pro nobis diligenter

ANNOTATA.

diligenter dispensatum est : quæ sit magnitudo dilectionis DEI, quomodo illa nusquam non se extenderit. Addit Chrysostomus, habitare Christum in cordibus fidelibus, in dilectione ipsius radicatis, non circumfluctuantibus. Porro Petra illa, supra quam nos
Quæ Pe- fundari vult hoc loco *Matth. VII. 24.* Christus, ut nullis pro-
tra Matth: cellis commoveamur & evertamur, non est contritio nostra, non
VII. 24. dilectio, non opera nostra, quia fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus 1. Cor. III. 11. 1. Petr. II. 4. seqq. qui unica Petra Ecclesiæ est, adversus quam portæ inferorum prevalere non possunt *Matth. XVI. 17.* qui verâ fide apprehendendus est, cum fundari in ipso, & per ipsum, in dilectione DEI debemus. Deniq; ex antithesi hypocri-
 seos rectè docet B. Chemnitius, quid sit facere verbum Christi: cujus explicationem subungere juvat: *Quid autem sit facere verbum Christi, antithesis hypocri-
 seos supra recitata simplicissimè ostendit, ut scilicet non hæreat in auribus, non natet in lingua, nec in externis tantum factis ostentetur, sed fundamentum ponat in corde & ibi radices agat, sicut inquit parabola Luc. XII. 15. & Paulus Eph. II. 1. 17. Col. II. 7. mentione radicationis & fundamenti videtur hoc alludere. Et de tota sua doctrina Christus loquitur. Cujus tres principales sunt partes 1. Pœnitentia, 2. Fides ad remissionem peccatorum, 3. Fructus Pœnitentiæ, seu bona opera. Facere ergò illud, de quo hoc loco concionatur, deducendum est per tria illa capita, ita, ut opponatur illis, qui audiunt, & nihil faciunt, vel aliud & aliter faciunt, quàm verbum DEI præscribit. Et qui audiunt & faciunt, sunt veri & genuini discipuli, & auditores Christi.*

CAPUT IIX.

v. 2. προσευχῆς αὐτοῦ.

Textus
Crotii.

Videtur omninò vitiliginosus iste magnum aliquid & eximium de Jesu animo concepisse, nimirum liberrimam sanandi potestatem. Sed an hunc esse promissum Messiam crediderit, dubitari potest, cum ipse Jesus id nondum palam esset professus, neq; is rumor in vulgus mansisset.

Non

AD MATTHÆUM.

Non tantum liberrimam sanandi potestatem Christo tribuit leprosus, quæ à divinâ dependeat, eâq; inferior sit, sed divinam omnipotentiam, quia à lepra liberare opus est divinæ infinitæ virtutis & potentia 2. Reg. V. 7. Neq; dubitari potest, ipsum credidisse Jesum esse promissum Messiam: sine quo fides in ipsum, per quam sanitatem consequutus est, locum habere non potuit. Et cui alii divinam potestatem mundandi à leprâ vindicasset, siquidem hæc nota fuerit Messia, Matth. XI. 5. nec ulli prophetarum convenerit, ἀνθεξισίως liberare à leprâ, quemadmodum de Christo professus leprosus est, si vis, potes mundare. Non autem ignotum erat, Jesum esse Messiam: quia & de cælo proclamaverat id DEUS Pater Matth. IH. & Johannes testificatus palàm erat de ipso Job. 1. & Christus discipulos assumserat, à quibus agnitus & prædicatus fuit: unde fama de ipso ad alios divulgata. Neq; aliud præconium de adventu regni DEI Matth. IV. 17. & annunciatio publica Evangelii in Synagogis Judaicis facta v. 23. cum miraculis illustribus conjuncta, testabatur; & in totam Syriam famam de ipso exiisse, atq; omnis generis agrotos ideò ad ipsum adductos perhibet Matthæus ibidem c. IV. 24. Deniq; annon Christus beatos prædicavit, qui propter ipsum, & nomen ipsius persecutionem patiuntur? annon de illis, qui in nomine suo miracula pertraturi sint, in die παντοκρητικῶ abs se excludendis, concionatus in monte, coràm magnâ turbâ erat Matth. VII. 22. 28. è quibus omnibus satis constare poterat, eum esse promissum Messiam.

ἐὰν θέλῃς, δυνάσασαι με καὶ θάρισαι.

Persvasio de potentia DEI initium solet esse pietatis. Nam hinc fit, ut ad DEUM accedamus Hebr. XI. 6. & si quid promissit, ei habeamus fidem, quantumvis difficillimum videatur id, quod promissio continet Rom. IV. 21. Hebr. XI. 19. Sic etiam Christianæ religionis principium est, considerare DEI potentiam in Christo, per quam etiam corpora nostra sint revictura, quod ut signo visibili adûbraretur, sanitatem corporis, alterius majoris sanitatis imaginem,

Textus
Grotii.

pio

ANNOTATA

is demum Christus conferre voluit, qui ipsum id posse considerent. Vide quod infra est IX. 28. Simul notanda hominis modestia, qui à DEO correptum se humiliter agnoscens (morbus enim ille pleurumq; à DEO in pœnam criminis alicujus, maledicentiæ præsertim, ut Num XII. immittebatur) nihil postulare aperte audeat: tantum quid Christum posse credat, testatur. καὶ θάξιζεν autem ἰσθὺν propriè dicitur lepra.

Quid per
fidem hinc
intelligatur?

Non tantum persuasio de potentia DEI, sed fides vel fiducia in divinam gratiam non minus quam potentiam, quod DEUS non modò possit, sed etiam velit nostræ miseræ, & necessitati succurrere, veræ pietatis initium, & radix est: quia Caritas in DEUM & proximum, quâ comprehenditur vera pietas, quæq; τὸ τέλος τῆς ἀγαθολογίας Apostolo dicitur, ex corde puro & conscientia bonâ & fide ἀνυποκρίτως redundare debet 1. Tim. I. 5. Cor autem purificatur fide Act. XV. 9. ac per asperionem sanguinis Jesu Christi in obedientiam veritatis, vel fide per Spiritum 1. Petr. I. 2. 22. 1. Ebr. IX. 14. 1. Job. I. 7. 1. Petr. I. 2. Fidei verò objectum non tam est potentia DEI, quam gratia & misericordia, quum illa potius sit presuppositum fidei; utpote quæ directè fertur in divinam gratiam, eamq; apprehendit. Neq; Ebr. XI. 6. persuasio de potentia DEI, sed fides in DEUM designatur, quâ DEO placeamus: & accessus ille ad DEUM non est pietatis exordium, sed potius fruitio DEI est, quæ promittitur illis, qui credunt, non tantum quod DEUS sit, aut quod omnipotens sit, sed etiam quod μιθαρποδοτής sit earum, qui requirunt eum; hâc enim fide ad DEUM accedimus, hâc ad Deum pervenimus; hâc DEO potimur, ejusq; gratiâ & salute fruimur cum nempe verâ fiduciâ hoc nobis applicamus, quod ipse nostra velit esse merces, & retributio, uti Abrahamo Patri credentium promisit, Ego sum merces tua magna nimis Gen. XV. 1. Quæ promissio fide apprehendi debet speciali, & applicatoriâ; neq; sufficit generalis ejusmodi fides, quâ credimus his, quæ promisit DEUS, etsi difficillima sint, quæ promissio continet: quia & diaboli credunt DEUM omnipotentem, imò & veracem esse, Jac.

AD MATTHÆUM.

Jac. II. 19. nec tamen DEO placent, aut ad DEUM accedunt, sed æternum à DEO exclusi sunt. Neq; religionis Christianæ principium, sed anima ejusdem ac forma est, *confidere Divine gratiæ in Christo* Jesuita, ut salutem animæ, & gloriosam resurrectionem corporis, per eandem nos consequuturos credamus: quemadmodum *leprosus* confidebat, se per gratiam Christi tum sanitatem corporis, si velit Dominus, tum imprimis animæ salutem consequuturum, siquidem *hypotheticè* petat, ac Domini voluntati humili devotione committat purgationem à leprâ corporis: etsi de potentiâ ejusdem securus esset, Domine, si vis, potes me mundare: purgationem autem à leprâ spiritali, cujus illa imago fuit, ac remissionem peccati non cum conditione solum petierit, ac desiderarit, sed simpliciter, sine hesitatione, de gratiosâ DEI voluntate, quam DEUS omnibus jurejurando confirmare dignatus est. Ez. XII. & XXXIII. quamq; Christus omnibus palàm prædicavit, & annunciavit Matth. IV. 17. c. V. 6. c. VII. 7. seqq. Marc. I. 15. Luc. IV. 18. quam etiam *Prodromus Christi S. Johannes* jam testatus erat sonorâ voce Job. I. 8. 16. 17. 29. ut non dicam de consentienti Prophetarum testimonio, quod remissionem peccatorum per fidem in Christum consequantur omnes, qui in ipsum credunt Act. X. 43. quod inter eos, qui *Mosen & Prophetas* habebant, non poterat ignotum esse. Tò *confidere* autem potentiæ DEI in Christo, vel potius potentiæ Christi divinæ, quia Christus DEUS est super omnia benedictus in secula Rom. IX. 5. quâ etiam corpora nostra sint revivificatura, vel intelligitur de fide generatim, qua credimus, id fieri virtute Christi posse, vel ad nos id applicamus sigillatim, illâq; gloriosâ & beatâ resurrectionem in corpore NOSTRO futurâ cõfidimus, quicumq; fideles sumus, h. e. nos ipsos ejusdem participes, & consortes fore, quorum prius ad antecedentia, alterum verò ad ipsam substantiam fidei pertinet. Fidem sanè multam ostendisse leprosum notat Chrysostomus, σὺν ἐπιτάτῃ γὰρ ἡν ὁ τοιαῦτ', καὶ Θεοφορῶς μὲν Prudentissimus quippe

R

eras

ANNOTATA

erat, & à DEO instinctus eidōs ὡς ἀληθῶς, ὅτι Θεός ἔστι, καὶ πάντα δύναμεν & ποιῆσαι, sciens quàm verissimè DEUM esse utiq; & omnia posse, quem alloquebatur.

v. 3. ὑψατο αὐτῶ.

Textus
Grotii.

Ex hâc historia, tum ex duabus aliis, in quibus mortua corpora Christus contigisse dicitur, argumentum trahunt Græci interpretes, ut doceant, Christum non fuisse legi subditum. At qui Paulus diserte dicit, γενέσθαι ὑπὸ νόμον Gal. IV. 14. & Christus ipse, ut jam diximus, negavit venisse se in terras, ut quicquam contra legem committeret, committendive auctor esset. Sed præterquam quod istis factis immundicia quidem aliqua contraheretur, non autem propriè peccabatur in legem (nam alioquin nec pollincire, nec condere corpora, nec scabiem sanare licuisset) certum insuper est, omnia opera patrata virtute divina semper exempta fuisse præceptis ritualibus, quemadmodum de lege Sabbati infra dicemus. Nam & Eliseus puero mortuo incubuit, ut vitam ei restitueret 2. Reg. IV. 34. neq; eo facto quicquam admisit legi contrarium. Contextus autem iste maximi erat usus, ut appareret, neq; fortuito redditam sanitatem, neq; virtutem eam aliunde, quàm ab ipso Jesu, profectam.

De Christo, an legi fuerit subiectus nec ne: distinctè respondendum. Nam consideratur Christus (1.) ratione Personæ, quia divinâ constabat naturâ, & humanâ. Neutrius ratione καθ' αὐτὸ & per se legi subiectus fuit: nam ut Deus conditor legis fuerat Ex: XX. 1. Act. VII. 38. ut homo verò quum particeps factus sit divinæ majestatis Job. I. 14. Col. II. 9. Dominus etiam legis est, vi unionis & communicationis hypostaticæ, quum unus tantum ipse Dominus sit, nempe DEUS & homo: & filius hominis etiam Sabbati Dominus sit Matth. XII. 8. Qui verò Dominus est legis, is quâ talis legi obnoxius, & subiectus non est. (2.) ratione officii sui. Quo pacto ceu mediator DEI & hominum ultrò, & sponte suâ factus est sub lege Gal. IV. 4. ac quum in formâ DEI esset, servus fieri voluit pro nobis, & obediens DEO Patri, usq; ad mortem Phil. II. 6. 7. 8. & implere omnem justitiam Matth. III. 15. ideoq; non tantum legem moralem, sed etiam rituales sanctè observabat. Nam & circum-

AD MATTHÆUM

circumcisionem suscepit secundum legem *Luc. II. 21. qui autem circumcisus est, debitor totius legis est Gal. V. 3.* Quod itaq; ad contactum leprosi, qui Christo tribuitur, non erat talis contactus, quo immunditia, etiam ceremonialis solum, contraheretur, quia sic purgatione m. *Leviticâ* opus fuisset; aut *ἀνομος* quo in legem saltim ceremonialem peccari posset, sed erat contactus *Sanatorius*, cui lepra confestim cedere debebat, quâ attingens leprosum non contrahebat, sed adstrahabat, & tollebat à leproso omnem immunditiam; non erat contactus *prohibitus*, sed *injunctus* Messia, ad officium ejus pertinens, non alienus à Messia officio; utpote, qui venire debuit etiam eâ fini, ut leprosos curaret, omnemq; corporis ægritudinem tolleret. *Matth. XIX. 17. c. XI. 5.* quod sive solo *virtuali*, seu *corporati* etiam cōtactu interveniente, ceu *medicus* divinitus missus, præstare poterat. Pulchrè *Chrysostronus* de hoc contactu: *Apprehendit ejus manum, ac leprosum tangit, ostendens ita se observare legem, ut tamen obnoxius legi non sit; sed legis Dominus; simul indicans mundo nihil immundum esse: carnemq; ejus non modo esse sanctam, sed vim etiam habere sanctitatis propagandæ in omnes, quos tangeret.* Non ergò cum aliis componi debet, quâ hunc contactum, sibi vi officii proprium, neq; communi aliorum virorum DEI more opera ejus exempta erat præceptis ritualibus, sed quâ volebat ipse & officii ratio ferebat, qui *ἀφ' ἑαυτοῦ* hanc *ἐξουσίαν* habebat. *Joh. X. 29.* quemadmodum nec communi more virtus divina ipsi conveniebat, sed *ἐξ ἀρέτης, καὶ μονοτέρας*, non per *ὑπόστασιν* aut *assistentiam*, sed *καθ' ἑαυτοῦ* & *οὐκ ἐκ τινος* *hypostaticam* *Col. II. 9.* Quod testatur, vel ipso *Grotio* interprete, *verbum* Christi *imperativum*, quo *ἀυτὸς ἐξουσίως* & *αὐτοκρατορικῶς* ipse statim lepram fugavit, & leprosum mundavit *v. 3. θέλω, καθαρίσθαι.* *Actiones*, inquit *Grotius*, *imperare etiam homines solent, at res solo imperio effectas dare verè divinum est.* Ideò *Christus* ad miracula usus sæpè est *vocibus imperandi passivis*: Nam & *Moses* creationem ita descripsit: *Et dixit DEUS: fiat lux, & facta est lux: quibus in verbis majestatem*

ANNOTATA

esse mirum, & σεμνότητα τῶ λόγῳ, rectè animadvertit paganus homo Longinus rhetor, cuius hæc sunt verba: ταύτη δὲ καὶ ὁ Ἰσθαίου θεσμοθέτης ἔχ' ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τῶ θεῶ δύναμιν καὶ ἀξίαν ἐγνώρισεν καὶ ἔφηεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων. εἶπεν ὁ θεός, Φυσί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένεθω. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. unde rectissime Cyrillus: Contingens leprosum Salvator curavit, illum, ostendens: spiritum in se inhabitantem curare morbos, corpus verò ipsum ejus contactu suo sanctificationem communicare.

v. 4. Ὅρα μηδενὶ εἶπης.

An hoc miraculum in Galilæa acciderit.

Notat Grotius, hoc miraculum in Galilæa accidisse idq; priora, ac posteriora apertissime indicare, Marc. l. 39. sed id minus apertum est. Nam à Marco quidem leprosi sanationem describi, precario assumitur, etsi circumstantiæ propemodum eadem ratione sese habeant. Si quidem non novum sit, similes nonnullas περιπτώσεις in diversis historiis recurrere. Quod autem diversa hæc sint historiae, tempus, & locus, & antecedentia & consequentia non obscure docent. Post sanatum enim leprosum à Marco introductum, non in Capernaum ingressus est, sed in desertum decessit, ac post aliquot demum dies in Capernaum se contulit, Marc. I. 15. c. II. 1. Matthæi leprosus à leprâ sanatus est, cum à monte descendisset, & versus Capernaum tenderet Christus Matth. IX. 1. Miraculum vero sanati leprosi apud Marcum in civitate quâdam contigit, ut è loco patello Luc. V. 12. liquet. Præsentem sanationem concio montana Christi inmediate antecessit, at sanatio apud Marcum facta est, postquam peragrasset Galilæam, & in Judæorum Synagogis per totam Galilæam concionatus esset, ac dæmonia ejecisset. Deniq; sanationem præsentis leprosi excepit statim sanatio famuli centurionis in Capernaum, non item sanationem leprosi apud Marcum, cui alia multa intercessisse è collatione Marc. V. 12. & VII. 10, luculentum est, unde cum B. Chemnitio, & aliis distinctas has esse historias statuimus.

Εἰς μαρτύριον ἀποστόλων

Ut

AD MATTHÆUM

Ut nimirum post id munus acceptum fateri debeant, mundum de esse. Neg³ enim recipiebatur munus, nisi post valetudinem diligenter exploratam. Ita illud μαρτύριον ἀποδείξει pro argumento, quo quis convinci possit, sumitur infra X. 13. Marc. VI. 11. 9. Jac. v. 3.

Testimonium non tantum de mundatione, sed etiam de Elen³ autore mundationis explicant Patres, & inter hos Hieronymus. Et merito: quia non tantum intelligere sacerdotes debebant verè mundatum esse leprosum, sed etiam discere, hoc argumento convicti, Jesum esse promissum Messiam, qui leprosos mundare pro beneplacito suo, soloq; imperio lepram fugare posset. Nam ita accipitur illud εἰς μαρτύριον apud LXX. Interpp. Deut. XXXI. 19. Matth. XXIV. 14. Luc. IX. 5.

v. 6. Βασανίζομαι.

Textus

Vox hæc est, ut multa alia, isto sensu Hellenistica, quam propterea, ut minus Grecam, culpatur Lucianus Pseudosophista: non autem dolorem vox ista significat, quo carent siderati, sed miseram corporis constitutionem.

Non posse eam intelligi, sed ἀδύνασιν propriè dictam fuisse, B. Job. Gerhardus noster monet: siquidem illa auferat simul sensum & motum, agrotus verò hic dicatur acerbissimos dolores sensisse. Vox enim illa semper dolores, eosq; gravissimos infert, ut ex inductione locorum constat Marc. V. 7. Luc. II. 28. c. XVI. 23. 28. 2. Pet. II. 8. Ap. IX. 5. c. XI. 10. c. XII. 2. c. XIV. 10. 11. c. XIII. 10. 15. c. XX. Cum verò de re inanimatâ dolores non sentiente occurrit, gravissimam tamen concussionem importat, qualis omninò est fluctuum maris Matth. XIV. 24. Marc. VI. 48.

Elenchus.

v. 10. Οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίσιν εὐρον.

Pisic hoc loco firmam de divina in Jesu potentia animi persuasionem significat. Hæc autem in Romano homine major fuit, quam in Israelitis antehac sanatis, quia vim divinam credebat efficacem satis esse sine ullo contactu. Vide historiam quæ est 2. Reg. IV. 30.

Textus

Grotii.

R. 3

Non

ANNOTATA

Non tantum *persuasionem de divina potentia* notat, sed *fiduciam* simul involvit vox *πίστεως*: quemadmodum nec solam potentiam agnovit Christi Centurio, sed etiam in gratiam eius suam collocavit fiduciam. Neq; verò solâ divinæ potentiae agnitione beneficia divina impetramus, sed opus est fiducia, sine quâ DEO placere impossibile est *Ebr. XI. 6.* Unde conjungit utrumq; hîc *Chrysoſtomus*: *Pergit autem, inquit, ex hac inductione fidelis animi supplicationem pertexere. Tu ergò, inquires, qui Deus verus es, plenamq; semper in Tuos milites auctoritatem obtines, utere illâ rogo tantisper, & præcipe morbo isti, quo puer meus detinetur, ut illum deserens sanum relinquat.* Neq; sanè levis hic error est *Grotii*: siquidem non solum de fide Centurionis, quâ sanitatem puero impetravit, sed de *fide salvificâ*, quâ nos remissionem peccatorum. & vitam consequimur, ita sentiat, eamq; meram persuasionem de divinâ potentia faciat, ut è *v. II. liqvet*, cuius hunc reddit sensum: *quemadmodum hic αὐτὸφιλῶς de divina in me potentia supra Judæos persuasus sanitatem corpori afflictio impetravit, ita ex gentibus plurimi simili persuasione ad me confugientes aeternam salutem consequentur.* At longè aliter fidem justificantem & salvificam describi à *Paulo*, è *Rom. III. IV. Gal. II. III. Ebr. XI.* aliisque *Scripturæ* locis notum est, ad quam præter assensum, vel persuasionem fiduciali apprehensione gratia Dei in Christo exhibita omninò opus est. De tali autem fide hic sermo est, quâ gentes salutem consequuntur, interprete ipsomet *Grotio*. Audiamus ipsos Pontificios hîc *Grotio* laniores. *Georg. Cassander* in *Consult. Art. IV. p. 30.* *Ad justificationem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahamæ ad promissionem Dei non hesitet per diffidentiam, sed præter spem in spem credat: Deum videlicet credenti in eum, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem, & peccata non imputaturum, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiritum S. vivificaturum. Hujus rei exemplum est*

est

AD MATTHÆUM

est in sanatione corporalium morborum, quæ interna sanationis imaginem gerit, ibi enim à Christo requiritur fides, non quæ homo credat se jam sanatum, sed quæ credat Christum ea potentia præditum, ut sanare possit, & confidat eam ejus esse bonitatem, ut sanare velit, quæ fide sanitatem consequuti sunt, ipsam verò sanitatem jam sibi donatam sensu perceperunt, quare ad eam cognoscendam fide opus non erat. In sanatione verò interiori, quæ occulta est, solæ Spiritus S. inspiratione cognoscitur, fide opus est, quæ huic Spiritus testimonio assentiamur. Ludov. Granat. Dominica XII. post Trin. in hunc textum nostrum, & ex eo Cornel. Jansenius Comment. in Concord. Evangel. c. XXXII. p. 177. ita habent: Cùm Salvator fidem commendat, non debet nomen fides, quod varium habet usum & significationem, accipi simpliciter pro credulitate, firmoq; assensu eorum, quæ de DEO & Christo credenda sunt, qualem fidem etiam Dæmones habent. Proinde rectissime, ut apparet, dicitur, nomine fidei in Evangelis, cum ei tribuitur salus aut consecutio omnium, quæ volumus, complecti utrumq; nempe & assensum illum firmum in credendis de DEO ac Christo, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi respectus ad credulitatem, & assensum illum mentis, in quibusdam verò ad ipsam fiduciam. Ita enim duo hæc ad invicem coherent, ut nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas sine fiducia quicquam impetret à DEO.

v. 12. τὸ ἐξ ὠτεγγυ.

Locorum nominibus statum vitæ alterius exprimi antè diximus. quare τὸ ἐξ ὠτεγγυ σὺὸτ & hic & infra XXII. 13. & XXV. 30. pænas significat non quaslibet, sed graviores, quibus ad pleniorem notationem omnibus iisdem locis additur fletus & denarium stridor. Agitur autem omnibus istis locis de iis, quibus maxime testata fuit DEI voluntas, quod genus hominum duplis supplicii puniendum alibi Christus pronuntiat. Est ergò σὺὸτ & ἐξ ὠτεγγυ status, qui longissime remotus est à cælesti gaudio, quod lucis nomine solet appellari. Hunc statum mysticè notat Psalmus XLIX. 20.

De

ANNOTATA

De gradu pœnæ infernalis intensiori phrasin accipit, quæ potius de ipsâ pœnâ inferni est intelligenda. Quod loca parallela, quæ ab ipso Grotio conferantur, docent. Nam c. XX. II. 13. de veste nuptiali destituto, & c. XXV. 30. de servo pigro, qui talento sibi credito nil lucratus erat æquè adhibetur, quorum culpa tanta non fuit (ὅτι συγκαίσει) quanta Judæorum Christum rejicientium, persequentium, in crucem agentium. Neq; Ps. XLIX. solum gradus intensior supplicii, sed supplicium ipsum infernale designatur cum privatione lucis vel gaudii v. 20. quæ pœnam damni tam rosione & afflictione, mortis v. 15. quam pœnam sensus vocant: qui sensus illic non mysticus est, sed literalis. Neq; vel Petrus 2. Ep. III. 12. vel Judas v. 13. per ἔσθον σκότους accidens infernalis pœnæ, sed pœnam infernalem, quæ illic diversis phrasibus describitur, inquit: siquidem nulla restrictionis istius ad intensiores pœnæ gradus sive in phrasi, sive in συνέχειᾳ textus ratio sufficiens deprehendatur, & exteriores tenebræ dicantur tam quod extra lucem cælestem sint, & quàm remotissimæ ab eadem, Domini quod horrendæ, & gravissimæ tenebræ, quales nullô in orbe, infernales sint, etiam ἁπλοῶς spectatæ. Quum enim per tenebras exteriores non privatio solum lucis naturalis in loco illo tenebrarum Job. XXXIX. 19. sed caligo spiritualis, cæcitas mentis Eccl. V. 8. ac perversitas voluntatis designentur, quæ omnibus damnatis veniunt, cur solum certa damnatorum quorundam supplicia hîc indicari, admittendum? Homines flagitiosi, inquit Dionys, Carthus. in 2. Petr. III. in hac vitâ ambulat in tenebris peccatorum, inde de tenebris vitiorum precipitantur, in tenebras tormentorum. Et fovet hîc ὑπερλόνητι Grotius, cum Salvianum laudat, alicubi quosdam monentem ut si beatificari posse desperent, certè operam dent, ne urantur, ne torqueantur, certè ne in exteriores tenebras rejiciantur. Hæc enim ab eo, qui strenuè aliàs Papizat, commendata facilè id inferunt, quod pœna damni sine pœnâ sensûs locum habere possit, & ad inducendam desperationem idonea sint. Si enim vel
uni

AD MATTHÆUM

uni desperandum de beatitudine, ecquis de gratiâ DEI, & beatitudine cælesti certus esse possit? Ex aduerso non vult DEUS, ut ullus, quantacunq; ejus sint peccata, desperet, sed ut convertatur impius, & vivat.

v. 17. Ὅπως πληρωθῆ.

Geminum facit Grotius Vaticinii EI: LIII. sensum: *primum*, Es. LIII. 5. nempe ac imperfectiorem, & *secundum* vel pleniorē, & ϩϩϩϩ sensu secundo & pleniori ἀμαρτίας notare vult: ac bis impletum vaticinium ait, prius cum Christus semet defatigans ad vesperam usq; aliorum morbis levandis vacavit, ut hic ostendisse Matthæum putat: posterius, cum crucis supplicium perferens remissionem peccatorum nobis impetravit, ut docet Petrus 2. Ep. II. 24. Ast unius loci non posse nisi unicum esse sensum, ἀξίωμα est certissimum. Quod in Prolegomen. ad Genes. assertum asseruimus. Et quis hic sensus imperfectior? An ille de levandis morbis per Christum? An verò alius, de afflictionibus nempe à Jeremiâ exantlandis? quem sensum fecit dicti Grotius in annot. ad Es. LIII. sed uti pessimè ad aliud subjectum ibi detorsisse vaticinium Judaizantem Grotium ostensum in vindiciis nostris fuit, sic perperam sensum peculiarem exsculpit h. l. è verbo πληρωθῆ, quia complementum alicujus vaticinii potest variis modis doceri, non autem ideò variū eidem affingendi sensus sunt. Nam impletum esse vaticinium etiam à posteriori constat. utpote expiata esse peccata, cum pœna aufertur: quo pacto intelligit Chrysostr. hunc locum. Ad confirmandam fidem narrationi Evangelicæ prophetici oraculi testimonium adjungit Evangelista, Esaiæ locum adducens: qui tamen locus ubi morborum meminit, isto nomine peccata potius, quam corporis egritudines designat. Ceterum quia pleriq; morborum corporis in pœnam peccatorum hominibus contingunt, meritò Prophetæ dictum etiam ad corporeos morbos Matthæus retulit. Quo etiam abit interpretatio Apollinarli. Esaias ad crucem dictum istud suum retulit. Matthæus verò ad morborum curationes. Hoc autem fecit, quia ipsa passio Salvatoris nihil fuit aliud, nisi medicina, ac curatio ho-

S

minum

ANNOTATA

minum. Ac satis constat ejus morte nobis emptam & paratam esse vitam. Quæ longè convenientiora sunt, quàm si cum Grotio ad labores dictum Esaiæ trahatur, & ad molestias in morbis profligandis, geminumq; fingatur complementum, primum in morborum sanatione non sine Christi molestiâ, deinde multò perfectius in ipsa morte, quæ animi morbos sustulit: illæ enim molestiæ nec in tempestivæ fuere Christo, nec ingratae unquam aut etiam graves, quod magno numero ad ipsum confluxerint ægroti, ut sanarentur, etsi penè oblitus hominum concurrentium turbâ fuerit. sed de sensu vaticinii diximus uberius l. c. v. 20. Οἱ υἱὸς τῶ ἀνθρώπου.

Non malè Grotius Paganis & Sectariis, hanc appellationem quasi partui virginali contrariam objicientibus, *Justini* responsum è Dialogo cum Gryph. reddit: καὶ γὰρ πατέρας τῶν γεννηθῶν, τὰς θυγατέρας αὐτῶν τέκνων, τὰς τῶν θηλειῶν γεννητορας ἡπυγνώμεθα, *Eorum siquidē qui filiabus gignuntur liberarum, Patres feminarum genitores novimus.* Quod autem oraculi hujus rationem aliam ideò quærendam credidit, quia Christus nunquam hoc modo nisi à seipso appellatur, eamq; hanc fecit, quod *Ebraei sepius ita designent hominem contemptæ sortis*, in eo assensum non meretur. Nam neq; id verum simpliciter est, quod solum ipse se ita appellet, quia & à Johanne in Apocalypsi c. l. & XIV. & à Daniele c. VII. 14. Sic vocatus est: & κένωσις ejus hoc vocabulo non respici, ea loca satis docent, in quibus isto nomine vocatur, cum non de contemptâ ejusdem sorte, sed potius de gloria ejus agitur: ac similis filio hominum dicitur, uti in divina majestate conspectus est, Ap. l. 13, c. XIV. 14. Quod de loco Dan. VII. pariter habendum, ubi *filius hominis*, quem hic agnoscit Grotius Christum; in annot. verò ad Daniel, *populum Romanum* esse somniavit, certè non apparet coràm antiquo dierum in nubibus cæli in formâ servili, vel sorte contemptâ. Adde etiam locum Ez. l. 26. nec non Ps. IIX. 6. ubi *filius hominis*, & homo καὶ ἰσοδυναμίας accipiuntur. Deniq; nec satis convenient exempla omnia

Quis
Dan. VII.
19 filius
hominis?

Jud. xvii.
7. 11.

AD MATTHÆUM

omnia, quæ adduxit Grotius huic significationi, Nam *Jud. XVII.*
7. 11. minimè palam est *ὅτι* hominem contempta sortis notare, *Jud. XVII.*
 quum quilibet homo indicetur, non præditus extraordinario
 fortitudinis heroicæ dono, *Gen. VI. 2.* non filii hominum vulga-
 rium filii heroum opponuntur, sed posterii Caini filii
 sanctorum Patriarcharum. Vid. quæ ad illum locum
 diximus. Non negamus, alicubi eam loquutionem ita usur-
 pari, imprimis *Pf. XLIX. 3.* sed Christum eo sensu de se adhibu-
 isse, non admittimus: quum usitato Ebraismo potius filius ho-
 minis idem sit, quod homo, quemadmodum filii Grecorum
Græci Joel. III. 6. *παιδες ιατρῶν* filii medicorum medici dicuntur
 &c. annuente *B. Glassio l. III. Phil. 8. p. 137.*

v. 27. Ὅτι καὶ οἱ ἀνεμοὶ καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν
 αὐτῷ

*Incipiunt majus quiddam humanâ magnitudine in Christo suspi-
 cari.*

Non majus tantum quiddam humanâ magnitudine, sed
 verè divinam & infinitam potestatem, quum hoc sit divinæ po-
 testatis proprium, & *DEI ὁπίθετον*, non diffitente hinc Grotio
Pf. LXV. 8. CVII. 25. Nec suspicari tantum incipiunt, sed crede-
 re se testantur, ac profitentur, etsi in admirationem abripiantur,
 quod homini ea potestas concessa sit; quia non satis intel-
 ligebant hæcenus articulum de Messia *Θεανθρωπῶν*: nondum
 noverant potentiam Salvatoris, dicente Hieron. prout scilicet
 par erat. Eleganter Chrysostomus: prout in Christo natura erat
 duplex, altera sese exterius ostentans humana, altera divina intus
 latens, sed effectione prodigiorum interdum emicans, ita inter al-
 ternas fidei atq; infidelitatis vices, fluctuantes discipulorum animi
 jactabantur, & quem judiciis sensuum modo non nisi hominem sen-
 tirent, elementorum obsequiis mox homine majorem agnosce-
 bant.

v. 29. πρὸς καλεῖ.

*Ante diem illum judicii, in quem servari se norunt impuri Spi-
 ritus 2. Petr. II. 4. Jud. 6.*

Quan-

ANNOTATA

Quantquam enim Tortura expertes jam non sint : gravius tamen illis adhuc expectandum iudicium. neq; id norunt solum, sed Christum etiam iudicem se novisse, hic testantur. Haec enim demonum Oratio, ut Apollinarius habet, est propheticorum oraculorum nequaquam rudium. Inde scilicet illi perspectum habebant, venturum esse Christum in mundum per incarnationem; & iterum rediturum in consummatione rerum, quo extremo duntaxat tempore iudicaturus ipsos esset.

CAPUT. IX.

V. 2. Τὴν πίστιν αὐτοῦ

Sicut centurionis servo profuerat Domini fides; ita prodest huic aegroto; fides amicorum: quantquam & ipsi fiduciam non defuisse credibile est.

Pronomen illud αὐτοῦ non bajulos tantum, sed ipsum etiam paralyticum respicit, quod agnoscunt Lyranus, Albertus M. Carthusianus, ut & Castrius part. 1. Conc. 524. Nota, inquit, Christum non attendisse solam portantium fidem, sed ipsius infirmi quoque, qui portari se permiserat & cum tanto periculo demitti. Fidelis intercessio pro aliis quin ipsis conducatur, seu ad salutem corporalem, seu ad conversionem & sanitatem spiritualem, ut ad fidem perducatur nullum est dubium Jac. V. 15, 16. 1. Tim. II. Epb. 1. 17. 18. sed cavendum, ne fide aliena quae impiam salutem adipisci censeamus: Justus enim fide sua vivet Hab. II. 4. Id ideo cum peccatorum remissionem aegroto annunciat Christus, Θάρσον, inquit, τέκνον, Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua. Quia non remittuntur, nisi credentibus: nec fides justificans aliud est, quam fiducia vel confidentia, quae ejusdem anima & forma est. Θάρσος non est tantum bono esto animo, sed confide μετὰ πατρῴσιας firmamque habe fiduciam, quemadmodum alias per πατρῴσια describitur fides. Et filium vocat, ut confidentiam in ipsum ceu Patrem collocet; Filium vocavit, inquit Cyrillus, quia crediderat in ipsum, eumque ut Dominum ac creatorem agnoverat. Notamus hic confessionem Jesuitae Costerè part. 1. Concion. p. 521. Nota, inquit, nullam fieri mentionem charitatis

AD MATTHÆUM.

charitatis illorum, quæ tamen magna fuit, sed fidei: Porro ad fidem hanc non sufficit credere, quod vera sint, quæ in scripturis: Eus dixit: hoc enim & peccatores Catholici faciunt, sed oportet promissionibus ejus inniti, & quod promisit generatim, firmiter credere te accepturum. & p. 525. CONFIDEBAT (Paralyticus) sed ad majorem fiduciam eum hortatur Christus, quia DEO non possumus nimium fidere. Laudat & hic Cassander sententiam Hilarii de Paralytico in Consult. p. 35. A Christo, inqvientis, per fidem remissio est, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola justificat.

v. 4. Καὶ ἰδὼν Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσας αὐτῶν.

Erat id inter notas Messia, ut contra Barchochebam observant Thalmudici, titulo de Synedrio.

Quum Messias verus DEUS sit, cujus proprium est videre cogitationes cordis, non id cum Judæis tantum, ceu nota Prophetæ alicujus, qui etsi ψαλὸς ἀνθρώπος quantum ad naturam, cogitata hominum, dictante spiritu, agnoscat, accipiendum, sed ceu κρητῆριον & argumentum certissimum divinæ naturæ habendum. Rectè Chrysof: Quod Christus arcanas cogitationes perspicit cordium, & clam licet, sub tacita conscientia velo, peccantes palam convincit ac coarguit, eo factio haud dubiè testatur, esse se non tantum perfectum hominem, sed perfectum item, ac verum DEUM.

V. 6. Ἐπὶ τῆς γῆς ἀφίεναι.

Distingvit Grotius potestatem, Christo ut homini in terra agenti datam, & eam, quam post resurrectionem sibi datam proficitur: Illa, inquit, potestas ad ea extendebatur, quæ ad ministerii cum suscepti functionem pro locorum ac temporum ratione pertinebant; altera nullis locorum limitibus circumscripta, caelestia omnia ac terrestria complectebatur. Ast una fuit eademq; potestas: quia potestas pro arbitrio suo peccata remittendi unius DEO propria, ideoq; unica est, nec geminari potest. Distingvere debebat Grotius inter potestatem ipsam & exercitium potestatis: seu κλήσιν, & χρῆσιν ejusdem. Infinitam potestatem habebas

ANNOTATA

habebat Christus ut homo, cum in terris ageret, super omnia in caelo & in terra, quantum ad κλησιν, etsi quoad plenariam, & incessantem χρησιν illius potestatis super omnia accepisse eam dicatur post resurrectionem *Matth. XXIX. 18.* Accedere hic videtur Grotius ad errorem *Socinianorum*, qui limitant ipsam potestatem Christi in terrâ agentis ad *certa objecta*, nec imperium eundem in res omnes habuisse admittunt. Vid. *Socinismum Proflig.*

V. 9. Ματθαῖον λεγομένον.

Agnoscit Grotius *OMNES* hodie ita existimare, hunc eundem esse, quem *Marcus & Lucas Levin* nominat, & congruere narrationum circumstantias. Et insurgit tamen unus contra *OMNES*, sed quibus rationibus? Admodum leviculis. Quod neq; *Matthæus* usquam se *Levin* vocet, neq; isti *Levin Matthæum* nominent, neq; in recensione *Apostolorum Matthæum* alio, quam *Matthæi* vocant nomine, cum cognomentis suis indigent. Sed quanquam *Matthæus* se non vocet *Levin*, annon satis id è *Marco & Lucâ* constat, qui eandem describentes historiam, testibus omnibus circumstantiis, publicanum illum à Christo vocatum, quem ipse *Matthæi* nomine indigitavit, *Levin* appellarunt, *Matthæum* esse *Levin*? & quænam illa consequentia est: *Non vocatur nomine Levi in recensione Apostolorum.* Ideò nec habuit nomen *Levi*? Agnoscunt hic in *Matthæo* Patres veram pœnitentiam, quod non dissimulavit ipse sordes & vitium vitæ prioris, in quâ *Matthæus* vocatus est, quum alii *Evangelistæ* nomê illud occultarint, eumq; *Levi* vocarint: utpote *Chrysostomus, Hieronymus, etiam Origenes.* Quod autem *Heracleon* illis temporibus proximus *Matthæum & Levin* ceu distinctas personas designat, tanti non est, ut evidentissimis narrationum *Evangelistarum* circumstantiis opponi debeat: etiamsi id approbaret *Clemens Alexandrinus*, quod verò in *Clemente* non apparet. Ecquis enim humana testimonia relationi divinæ autoritatis præferret? ut taceam quod adhuc *alius Levi* nomine insignitus Christi discipulus esse potuerit, quem *Heracleon* indigitavit, etsi & *Matthæus*

AD MATTHÆUM

thæus hoc nomen obtinuerit. Quod verò Origenes adversus *Celsum* disputans, *Levin* Apostolum fuisse negat, quanquam id *Marci* quædam Exemplaria præferre videantur, ex quo conjectat *Grotius* in recensu Apostolorum libros quosdam *Marci* nomen *Levi* seorsim à *Matthæi* nomine habuisse; ac *Levin* illum simul cum *Matthæo* vocatum, qui fortè *Jacobi* frater fuerit, quia utriq; *Pater Alphæus* ascribitur, & unus non illorum duodecim, sed aliorum *Christi* Sectatorum, ea ut incerta, & meris divinationibus constantia dimovere nos minimè valent à communi Omnium aliorum consensu, imprimis quia nullo è *Scripturis* documento svaderi potest, diversum à *Levi* esse *Matthæum*, nec uspiam aliàs *Levi* introducitur, qui extrà chorum Apostolorum fuerit, neq; verisimile est, *Marcum* & *Lucam* prætermitturos fuisse *Matthæi* Apostoli, commemoraturos verò *Levi* alicujus, qui non Apostolus fuerit, vocationem. Neq; Origenes, quicquid de *Levi* quodam non Apostolo *Christum* sectato, quum prius publicanus esset, contra *Celsum*, seu κατ' ἀνθρώπων, seu ex propria sententiâ, tradat, inficiatus est, *Levin* *Marc. II.* & *Luc. V.* è telonio vocatum esse ipsum *Matthæum* Apostolum: quin imò causam reddidit, cur *Marcus* ac *Lucas* nomen prius *Matthæi* occultent, *Matthæus* verò illud apertè exprimat: *vidit Matthæum publicanum: τὰ ὅσα ἡ λέγει ἵνα ἡμεῖς θαυμάσωμεν τὴν τέχνην τῆς ἰατρείας αὐτοῦ. & αὐτὸν θεὸς πιστεύωμεν εἰς αὐτὸν ἀκροβαῖ ἑσται.* Hæc autem ita dicit, ut ex notitiâ hinc hauriendâ de plorati ejus status *Medici*, qui ipsum curavit, nempe *DEI* artem ac vim eximiam agnoscamus, indeq; in fide corroboremur. Cum deniq; non in *Matthæi* domo, ut qui tùm omnia sua reliquerat convivium celebratum censet *Grotius*, sed in domo *Levi*, qui fortè ἀρχιτελώνης fuerit, ut *Zacheus*, in cuius ministerio fuerit *Matthæus*, sine autoritate, ac merè precariò ista assumit: Etsi enim *Matthæus* non addat in domo suâ celebratum convivium, sed simpliciter dicat ἐν τῇ οἰκίᾳ, domus tamen illa ipsius esse poterat, uti *Arabs* secundum editionem *Londinenlem* disertè addidit, in domo *Matthæi*, & *Erasmus* in *Domo illius*. Neq; verò cum *Matthæo*.

ANNOTATA

Matthæus vocatur hoc loco, omnia reliquisse dicitur, uti, expressè in historiâ à Lucâ descriptâ, cum Levin nominat vocatum, additur, & relinquebat omnia, & surgens sequebatur eum v. 27. qui tamen confestim subjungit v. 29. ab ipso, & in ipsius domo adornatum esse magnum convivium: unde luculentum est, cum istâ relictione omnium non pugnare, quod in domo sua convivium instruxerit.

Ἐπιθῆς τὴν χεῖρα σὺ.

Notum erat Judæis, solere DEUM prophetis hunc exhibere honorem, ut in alios dona sua conferret ad Prophetarum preces, quarum Symbolum erat manuum impositio. Ita Moses Josua jussus erat manus imponere, ut ille eâ ratione ad Mosis preces divini Spiritus augmenta acciperet, Num XXVII. 18. 20. Et Naaman Syrus invocationem DEI conjungit cum manuum impositione. 2. Reg. V. 2. Proximè manuum impositio designat efficaciam divina potentia. Nam χεῖρα ἐπιθεῖναι de Deo eum in sensum usurpatur Act. IV. 30. Ideò quia per preces divina potentia pro altero invocabatur, usitata erat cum precibus manuum impositio. Vide quæ infra XIX. 13. Videtur autem Jairus minus præclarè de Christo sensisse, quàm alii, qui solo contactu sanitatem à Christo sperabant, quàm Jairus, ut credibile est, arbitrabatur ab Jesu non nisi precibus posse præstari.

Non expetiit Jairus hanc χεῖρα ἐπιθεῖναι, quasi minus præclarè de Christo senserit, quàm alii, qui solo contactu sanitatem à Christo sperabant, quàm ipse arbitrabatur, ut credibile est Grotio, ab Jesu non nisi precibus posse præstari. Quidni enim præclarissimè de Christo senserit, cum non morbos solum eum profligare posse, quod ab aliis hætenus creditum, sed mortem etiam ipsam, agnoverit; neq; de eo in textu vel vola vel vestigium apparet, quod manuum impositione ideò opus esse, crediderit, quisi arbitratus fuerit, non nisi precibus id præstari posse. Etsi enim de Prophetis notum Judæis erat, quod ad eorum preces in alios dona sua conferre consueverint: atq; admitti possit, ideò quia per preces divina potentia pro altero invocata fuit, usitam fuisse, cum precibus, manuum impositionem: tamen longè majora

AD MATTHÆUM

majora jam patrarat Christus, ac se non *Prophetam* modò, sed *verum DEum* documentis invictis ostenderat, cognitusq; *DEI Filius* erat: nec Jairus ad eum se recepit filia resuscitanda à mortuis causâ, ut *Prophetam* quendam, sed quod ipsum *Messiam*, qualis à Johanne Protobaptistâ publicè, & à Deo de cœlo declaratus in Jordane erat, & quem è concionibus, & miraculis, alijsq; *γνώσιμα* intelligere poterant, esse crederet: quem non merum hominem, sed verum *DEum* fore è Prophetis scripturis hic *Archisynagogus*, sine dubio, agnovit. *Frequentiora*, inquit Grotius ipse ad v. 25. *Et majora veteribus exemplis miracula jam effecerant, ut à quibusdam Jesus non Propheta tantum, sed promissus ille Messias crederetur. Vid. Joan. VII. 31.* Longè ergò alia erat illa per impositionem manuum curatio, quæ à Prophetis fiebat 2. *Reg. V. 11. non propriâ virtute, sed impetratâ per preces divinâ efficaciam*, alia, quàm hic expectabat, in vitam revocatio, quàm à Christo, ceu *Messia*, desiderabat. Neq; illa manuum impositio precum Symbolum erat, sed concursus manus divinæ talis, qualis est *causa prima cum mediâ, vel principalis cum instrumentali*: quia, fatente Grotio ipso, *manuum impositio propriè designat divinæ potentie efficaciam, Act. IV. 30.* Atq; ita etiam Christus manus imponebat pueris *Matth. XIX. 13.* ut divinam potentiam, non quàm aliunde per preces accerseret, sed quàm ipse ad benedictionem ipsorum exerceret, designaret.

V. 20. *Τὸ κεντὰ πένδρα τῶν ἱματίων αὐτῶν.*

Quod hic confert è *Mal. IV. 2.* hætenus alienum est; quia ibi non de vestis *Messia* fimbriis, sed de *alio gratia* ejusdem, sub quibus sanatio nobis est, agitur. De loco verò ipso conferantur, quæ in *Annot. Anti-Grot.* ad illum diximus.

V. 21. *Εὰν μόνον ἀψωμα τῶν ἱματίων αὐτῶν σωθήσονται.*

Non rectè sensisse *fœminam de Christo* Grotius in eo putat, quod *emanationem* quandam naturalem potius, quàm *arbitrii ac dispensationis ipsius* crediderit, atq; inde spem aliquam acceperit, *sanitatem se posse ab ipso furtim subducere.* Sed unde id constat,

I

ipsam

ANNOTATA

ipsam ita credidisse? Neq; enim contactui nudo salutem tribuebat, sed quod fidem suam ab animadverso desiderio opitulationis ejusdem, non irritam fore, certa esset. Ideò etiam elogio illo condecorat eam ὁ καρδιογνώσις, cui sine dubio plus eribendum, quàm Grotianæ suspicioni: quã Philosophicæ fidei huic insigni affingitur, eademq; vana persuasio, DEum nempe agere omnia Φόσει, & θελήσει, quæ nunquam huic famina in mentem venerat. *Confide, inquit, filia, fides tua te servavit.* Noverat enim oculos Domini respicere fidem Jer. V. 3. ac sine fide impossibile esse placere DEO, Ebr. XI. 6. Neq; contactum solum corporalem præstare quicquam posse, quum etiam impii in diebus carnis Christum attigerint, probè intelligebat; sed confidebat unicè in gratiâ ejus, ac fidem suam minimè reprobaturum iri sperabat. Non ergò furtim à Christo sanitatem subduceri volebat, quia Christum illum contactum, quod ex verâ fide proficiscatur, agniturum firmiter credebat, & hinc sanitatem corporalem, nisi æternæ salutis ejus concessio adversa fuerit, sese consecuturam, piè secum statuebat. Quis enim furtim Domino, quem etiam occulta cordis novisse haud dubitat, se aliquid subducere posse, animo persuaderebit suo?

v. 23. Φόσει θυγατρ. ἢ πιστις οὐ σέσωκός τε.

Φόσει ut supra significat, bono esto animo. Solent enim crepidare, qui clam aliquid agunt, timentes, ne deprehendantur, sicut hæc mulier, quæ verebatur, ne Christus contactum suum ut impurum declinaret. At Christus simul errorem ipsius corrigens, & tamen quid in ea probandum esset ostendens, significat, non contactum, sed insignem illam de divinâ potentiâ persuasionem ipsi ad sanitatem profuturam: quod prælagium fuit, ut aliquoties jam diximus, veniæ delictorum & salutis æternæ consequenda per obedientem in Deum & Christum ejus fiduciam: unde etiam factum est, ut hoc Christi effatum frequens esset in ore Christianorum, quod etiam Celsus Christianis objecit, quasi signum animi non rationibus fulsi, sed cæco quodam assensu occupati. Huic duobus locis respondens Origenes fateretur, doctrinam Christi simpli-

citer

AD MATTHÆUM.

citer traditam, ut quæ salutifera esse deberet non hominibus tantum studio literarum vacantibus, sed quibusvis de plebe, etiam maximè occupatis, à quibus iniquum esset exigere disputandi subtilitatem: Interim verò istam συγκατάθεσιν sive ἐπιληψιν nisi certissimis argumentis, hinc Dei potentia, inde virorum optimorum consentiente testimonio. Clemens autem idem dictum explicans rectè monet, ἔχ' ἀπλῶς τὴς ὁπίσω ἐν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι, se & eos demum, qui pia opera (data scilicet occasione) fidei adjunxerint: hoc est, eos, qui fidem habuerint vivam atq; efficacem. De Pythagorâ Jamblichus, ὑπήρχε ἡ αὐτῷ διὰ τῆς εὐσεβείας καὶ ἡ περὶ τῶν Θεῶν πίστις. Παρήγελλε γὰρ αἰεὶ περὶ Θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπιστεῖν, μηδὲ περὶ θεῶν δογματῶν ὡς πάντα τῶν Θεῶν δυναμέων. Vide Ἐ Dan. VI. 23.

Quantquam verbum *Θάρσει* id simul inferat: *bono esto animo*, id tamen imprimis fiduciam imperat, non autem solum de divinâ potentiâ persuasionem, quæ sine fiduciâ nihil prodest, quum & dæmones de potentia DEI quàm persuasissimi sint: quâ proinde temerè asseritur, Danielem è lacu leonum liberatum esse, Dan. VI. 23. Confidebat enim Daniel DEO suo firmiter, quod emphasis verborum importat: *יִמִּין בְּאֵלֵהוּ* quod verbum fiduciam, quâ animus nutritur, quæq; firma est & certa, unde etiam *יְוָה* particula affirmantis & jurantis per veritatem est, infert, & de Abrahami fiduciâ, quæ in justiciam ipsi imputata Gen. XV. 6. adhibetur. In cujus dicti Mosaici enarratione Cajetan. ad Gen. XV. Moses non dicit Abrahamum credidisse DEO, sed in DEO: hoc enim plus est. Nam credere DEO est fidem habere illius verbis ut veracibus: credere autem in DEO in super addit fiduciam in DEO. Sine fiduciâ bono animo nemo esse potest, & ex solâ fiduciâ tranquillitas animi & conscientia redundat Rom. V. 1. Non trepidavit hæmorrhousa, ceu illi, quæ clam agunt, quod non licet, timentes ne deprehendantur: nihil enim illiciti tentabat; & quæ verita fuisset, ne Christus contactum suum ut impium declinaret, quem impuritatis nostræ mundandæ causa venisse non nesciebat? Id verò doctrinæ E-

ANNOTATA

vangelicæ & Apostolicæ planè adversum jam est, quod *veniam delictorum & salutem æternam consequamur per obedientiam in DEUM & Christum ejus fiduciam, h. e. per persuasionem de DEI & Christi potentiâ & obedientiâ, quæ præceptis DEI & Christi præstatur*: quia illa persuasio non est fiducia, quâ ad justificationem & salutem, teste universâ Scripturâ, opus est: *illa enim in intellectu, hæc in voluntate est, illa pro objecto habet DEI potentiam, hæc DEI gratiam in Christi merito fundatam; illa per se non infert applicationem; hæc in ipsâ apprehensione gratiæ DEI & meriti Christi propriè consistit*: Neq; obedientia nostra, vel studium bonorum operum aliquod *ἰπὸ βάλανον μέρους* confert ad nostri seu justificationem, seu salutem, aut ullo modo ad eam consequendam facit: quia & justificamur & salvamur *χωρὶς ἔργων*, ex merâ gratiâ, & per unicam Christi obedientiam fide apprehensam, teste Apostolo *Rom. III. IV. V. Eph. II. III. Gal. II. III. Tit. III. &c.* Ut Philosophica illa *συγκατάθεσις*, quæ rationibus fulcitur, hic locum nullum habet, ubi verbo DEI solum propter autoritatem dicentis DEI credendum, non sanè cæco, sed maxime oculato assensu, quia oculis animi à DEO ipso illuminatis opus est ad eam fidem, quæ verbo DEI *ἀμετάπτωτος* innititur, ac potentiam, gratiam, & veritatem irretorto, ut ita dicam, oculo intuetur, *credens in spem contra spem, & τῶν μὴ βλεπομένων ἔλεγχος* est: ita ad justificationem ac salutem æternam consequendam sola *συγκατάθεσις* aut *κατάληψις* quantumvis argumentis nitatur certissimis omni exceptione superioribus, quæ profectò haberi minimè potest in rebus divinis, & ad fidem in generandam consentiens optimorum virorum testimonium, quum optimi etiam viri, etsi consentienter aliquid affirmant, errori obnoxii esse possint, nec infallibilitatis ullum habeant privilegium, ne utiquam sufficit. Nam imprimis opus est eo, quod hic exigie Christus, *Θάρσει CONFIDE*, seu *fiduciâ*, quæ *ὑπόστασις* est *τῶν ἐλπίζομένων*, & juxtâ cum *ἐλέγχω τῶν μὴ βλεπομένων* ad fidei definitionem requiritur; sine quâ DEO placere, impossi-

bile

AD MATTHÆUM

bile est, *Ebr. XI. v. 6.* Qualis enim fides justificans fit, non è Pythagoræ Scholâ, aut è Jamblichò, sed unicè è Scholâ Spiritus S. & doctrinâ Propheticâ, & Apostolicâ discendum est: quam non cum obedientiâ confundit, sed ab eadem distinguit, imò obedientiam & opera pia à justificatione excludit Apostolus, cum *DEum justificare impium* docet, τὴν μὴ ἐργαζομένην πιστεύοντι δὲ non operanti, credenti autem fidem imputando ad justitiam *Rom. IV. 5.* etsi interim bona opera à fide justificante non separet, utpote quæ non quidem justificandum antecedunt, omninò tamen justificatum sequuntur. Quod *Clementis* etiam monitum fuit. Sed hæc aliàs contra *Socinianos, Arminianos; Pontificios, & Novatores Calixtinos,* ipsumq; etiam *Grotium* illis obstetricantem ex professo: *Conf. Exegema. Aug. Confess. artic. IV.* Fidem unicè hic Christus requirebat, *Θάρσει confide filia;* fidem unicè respiciebat in muliere hæmorrhousâ: fidem unicè ceu sanitatis conciliatricem deprædicabat, quæ non præfagia, sed documenta esse debebant, fide solâ nos salutem animæ consequi, siquidem ipsam etiam sanitatem corporis per fidem consequimur. *Confide, inquit, filia, fides tua te salvam fecit.* *Mulieris sanguinis fluxu laborantis accessum Christus sentiens, non est eam dedignatus, sed curavit & filiam vocavit, quippe quæ fidelis est,* ait *Cyrillus.* Persuadere a-
liis quoq; circumstantibus, ut hic *Chrysostomus, voluit, quod scire intererat ipsorum, ὅτι δύνατός ἐστι πάντα ποιεῖν εἰς λόγους τῆ πίστεως τῶν προερχομένων αὐτῷ inesse in se potentiam fiduciæ, quam quisq; de eo præcepisset, quâq; animatus ad eum accederet exactè respondentem.* *Hieronymus, Non dixit, inquit, fides tua te salva factura est, sed salvam te fecit: In eo, quod credidisti jam salva facta.* *Conf. quæ ad v. 2. dicta. Solam fidem Christum respexisse etiam Jairo immediatè post dictum mandatum confirmat Marc. V. 30. μόνον πίστευε; & Luc. VII. 50. μόνον πίστευε, καὶ σωθήσεται.* Quod proinde re-
ctè à nostris Theologis etiam urgetur pro justificatione solius fidei, Quam consequentiam *Bellarmin.* ipse admittit lib.
de

ANNOTATA

de Justif. c. X. Matth. XV. & Marc. VII, aperte tribuitur fidei
efficacia impetranda sanitatis. Neq; responderi debet, aliud esse
loqui de justificatione, aliud de curatione morbi corporalis. Nam
Dominus iisdem planè verbis tribuit fidei utramq; sanitatem: pec-
catrici enim dixit: fides tua te salvam fecit, Luc. VII. & mulie-
ri curatæ à fluxu sanguinis similiter dixit: fides tua te salvam fe-
cit. Hæc Bellarminus.

v. 24. καθ' εὐδαι.

Καθ' εὐδαι ἰουδαίων inquit Menander de mortuo. Hæc a. lo-
cutiones, ut & quod mortuos μακάρων aut μακαρίτων vocabant,
& quod Tertullianus apud Romanos antiquitus usurpatum
scribit, abijt & reverti debet, vestigia esse videntur antiquissima
traditionis, opposita Sadducæis, quorum sententia favisse videtur
Jairi domus.

Unde hoc colligitur, quod Sadducæorum secta addicta do-
mus Jairi fuerit? Temeraria est hæc præsumptio de viro tam
insigni, Scholæ directore, cujus fides hęc præclarè eluxit, quod
non rectius familiam suam informavit in his, quæ ad τῆς εὐχαι-
τῆς δεξιῶν λόγιων Θεῶν, & ad ipsum θεμέλιον religionis,
proprio Ebræorum iudicio, spectabant, quæle erat caput do-
ctrinæ de resurrectione mortuorum Ebr. V. 12. c. VI. 12. Etsi ergo
adessent, qui Christum dicentem: non est mortua puella, sed dor-
mit, irriderent, non tamen id de ipsa domo & familiâ Jairi præ-
sumendum, quod Sadducæorum more negavit resurrectionem
mortuorum. Et deridebant illi eum, quod putarent, se rectius
scire, ipsam verè mortuam esse, non solum dormire: non quod
censerent, nunquam resuscitatum iri, æternum in morte man-
suram. Ideoq; derisores illos testes suos esse, notante Chryso-
stomo, volebat Christus, qui probarent, verè defunctam puele-
lam fuisse: ne quicquam, cum pretextu, excipere contra miracu-
lum mox edendum possent: in Syncope aut deliquio majori quodam
constitutam virginem obiisse visam, mortuam autem verè non fuis-
se. Neque vero est ab simile singulari sensu de iis, quos mox ex-
citaturus Christus erat, hæc formulâ usum ipsum esse, nempe
quod

AD MATTIÆUM

quod dormirent SIBI, statim abs se solâ voce vel acclamatione excitandi. Et si enim verè mors nostra nihil aliud sit quàm ὕπνῳ τῶν τῶν ὡς οὐκ ἐστὶν ἡ μάχη ποτὲ ὅς somnus hōc usitatō longior, docente hīc Chrysofostomo vid. 1. Cor. XI. 30. c. XV. 20. nihil tamen obstat, quò minùs hic peculiare quid innuatur. Nam uti singularis eorum fuit resuscitatio, quia non in gloriam, nec incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabatur hæc puella, dicente Tertull. 1. de resurr. carn. sic de morte etiam talium brevi resuscitandorum peculiari modo dicebatur, quod non mors sit, sed somnus. Alii fideles dormiunt, quoad corpus solum, quia anime eorum beatâ visione DEI in cælis fruuntur Ap. XIV. 13. magisq; vigilare censendæ sunt, quàm unquam in corpore vigilarunt, non enim requiem à celebratione DEI habent, nec nocte nec die, Ap. IV. 8. & hos quo ad animam beatam visionem DEI ac felicitatem ac voluptatem cœlestem percepisse minimè verisimile est, ab eâ enim beatitudine deturbari, & denuò in terrenam miseriam, salvâ DEI justitiâ, detrudi minimè potuissent. Ideoq; in πῶς quodam extraordinario egere animæ visionis divinæ expertes; postquam sc. naturale illud vinculum ac unio cum corpore, factâ per mortem solutione, ad tempus cessavit. Proinde non opus erat corporis glorificatione, ad animæ visione DEI beatificâ collustratę consortium, sed anima, qualis fuerat in carne, cum solveretur unio cum corpore, de quâ vivificatione Christi contactu ὅς voce facta pulcrè Chrysofostom. Nimirum contactu manus vim imperceptivè examinato corpori vitæ recipienda: verbis suis verò vitam verè ac spem reddidit mortua.

V. 33. Ὁ δὲ πῶς ὁ δὲ πῶς ὁ δὲ πῶς

Subauditur π, ut supra quoq; ac præterea γενόμενον. Sic ὅς Marc. 12. sensus est, tot signa, tam admirabilia, tam celeriter, neq; contactu tantum, sed ὅς verbo, ὅς in omni morborum genere, à nemine antebac edita, ne à Moise quidem. Locutio eadem Jud. XIX. 30.

Non omnia miracula universim hæc respiciunt, sed speci-
atim

ANNOTATA

atim de mutuo & obsequio, cui Christus lingvæ vinculum solve-
rat, & è quo dæmonium ejecerat, agunt: quæle iudicium
cùm paralyticus lanaretur, de ipso latum Marc. II. 12.

v. 36. ἐσκυλμένοι.

Apparet ita legisse non veterem tantum Latinum interpretem
sed & Syrum, qui posuit ϩⲛⲏⲗⲓ Videbat Christus plebem Israeli-
cam pessimè haberi ab iis, qui pascere ipsos debebant, sacerdotibus
& legis peritis, ut qui suis studerent commodis, vindicantes (quemad-
modum loquitur Salvianus) improbissimis questibus nomen religio-
nis & proferentes ad sordidissimas negociationes titulum sanctita-
tis. Videbat præterea miseros homines hinc à Phariseis, inde à
Sadduceis in partes diversas trahi, ita ut quid sequerentur, quid
fugerent, non satis esset ipsis exploratum. Ita ἐσκυλμένοι ad ma-
lam tractationem, ἐρριμμένοι ad sectarum studia pertinebat. Con-
fer Jer. L. 6. Et figuram huius rei Esther III. 8.

Sic & Erasmus legendum censet, ad Chrysostomum, Hie-
ronymum, Hilarium, & Theophylact. provocans. Nec abnuitt
B. Gerhardus, neq; Beza. At communiter legitur ἐκλυμένοι
vo; neq; temerè à receptâ lectione discedendum est. cur enim
non dicerentur defatigati, viribus exhausti, & ut Luther.
verschmachtet: Conf. Matth. XV. 32. Marc. IX. 3. Gal. VI. 9.
Ebr. XII. 3. 6. Et sic respiciendum non ad lassitudinem, vel de-
fatigationem è viâ, quò etiam τὸ σκυλμένοι Beza trahit, quod de
viâ pleriq; defessi essent, sed potius ad debilitationem, & defectum,
ac langvorem animi, uti Ebr. XII. 3. 5. etiam adhibetur τὸ ἐκ-
λυμένοι: quo pacto sensus eodem recidet, cum interpreta-
mento Grotiano, & causa istius defectus ac langvoris spiritualis
rectè adhuc deducetur ab illis pravis Doctoribus, à quibus pa-
rum, aut nihil vigoris, virtutis spiritualis, aut recreationis &
confortationis anime expectari poterat qualem solis pro-
mittebat Christus Matth. XI. 28. qui spi-
ritualiter fatigati, & onerati
erant.

05 A 120

ULB Halle

3


003 764 621



VJ17







17

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
Exhibens
ANNOTATAANTI-
GROTIANA

In Matthæi Capp. VII. VIII. & IX,

Qvam
In Academiâ Wittenbergensi,

PRÆSIDE

Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo ac Ex-
cellentissimo VIRO,

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

Doctore Theologo de totâ Christi Ecclesiâ emi-
nenter merito, Professore Publico Primario, Ecclesiæ Wit-
tenbergensis Pastore, Circuli Elect. Sax. Superintendente
Generali, & Consistorii Ecclesiastici Assessore

gravissimo,

Dn, PATRONO ac PRÆCEPTORE suo perpetuo animi
cultu venerando

Collationi publicæ exponit

M. CHRISTIANUS Röhrensee/ Colleg.

Philos. Adjun&us, & Alumnus Electoralis.

Habebitur ad d. 1. Septembris,

Anno clæ. 1cc. LXX.

In Auditorio Majori.

Litteris Borckardi Acad. Typog. Excudebat Simon Lieberhirt.